

Tertius de Anima

ratione entis. Secundo dicitur a capreolo in pri. d. iij. q. bonum non est obiectum voluntatis sicut visibile non est obiectum sensus sed ista potius sunt passionibus obiectorum nec proprium obiectum voluntatis habet aliud nomen.

Ad secundum dicitur q. non omnis similitudo est cognitio nisi sit in potentia cognoscitiva intellectus etiam est quidam appetitus naturalis sed non est potentia appetitiva condistincta alijs Sanctus Thomas. i. pte. q. viij. ar. i. ad. iij. 2. q. lxxviii. ar. i. ad. iij.

Ad tertium dicitur q. nobilissima intellectio que est visio dei est immediate ad deum nec est per speciem sed deus supplet vicem eius et illa visio est nobilior habitu caritatis. Sed replica est ex sancto th. i. pte. q. cvij. vj. ad. iij. h. loquitur de potentia naturali.

Ad quartum negatur consequentia. Alij tamen dicunt q. privatio nobilissimi actus intellectus peior est pessimo actu voluntatis. Contra nullum malum pene excedit malum culpe sed privatio visionis dei est malum pene. Ad aliud dicitur q. intellectus aliquando necessitat voluntatem sed non cogit eam sed ostendit agendum per modum deprecantis nec semper qui deprecatur est subditus quia paulus deprecatur ut bene agamus.

Ad quintum dicitur q. intellectus movet per modum cause finalis et imperare secundum san. th. est actus intellectus. Ad aliud quidam dicunt q. intellectus non potest cogi quia omnis actus eius est naturalis inclinatio eius s. t. dicit de ve. q. xxij. ar. v. iij. q. intellectus dicitur cogi per respectum ad totum hominem per quod assentit primis principijs contra voluntatem que dicitur inclinatio s. vtrum possit dissentire primis principijs videtur q. sic quia dissentire primo principio est operatio intellectus et obiectum intellectus est omne ens ergo potest assentire et dissentire. Sed de hijs satis dictum est in logica. Ad aliud dicitur q. illud quod est prius simpliciter et secundum ordinem nature est perfectius sic enim actus est prior potentia et intellectus est prior voluntate sicut actuum passivo bonum enim intellectum movet voluntatem. s. t. parte. q. lxxxij. ar. iij. ad scdm.

Ad sextum non sequitur quia substantia a se est melior quolibet accidente et tamen deus premitur p. accidente quod est actus meritorius. Si dicas actus meritorius meretur de condigno vitam eternam que est visio dei ergo est tante bonitatis absolute negatur consequentia sicut per pecuniam quis emit de condigno equum et tamen equus cum sit viuum est melior pecunia. Ad aliud patet ex dictis.

Ad septimum concedo q. intellectus est liber. ut distinguitur contra subditum sed non est liberum arbitrium quia non habet ex se q. possit in vtramque partem contradictionis licet tamen voluntas sit liberior non est tamen nobilior. s. t. de verita. q. xxij. ar. i. ad scdm. Nota q. duplex est libertas prima est finalis ordinationis q. n. s. aliquid agit gratia sui ipsius et s. scientia est libera alia est libertas oppositiois q. n. s. potest in opposita omnibus eodem modo se habentibus et sic tantum voluntas est libera. Sed vtrum intellectus possit opinari conclusionem si habeat equaliter rationes pro et contra videtur q. non nisi voluntas concurrat. Sed tunc. Dubitatur de bruto quod est in medio commestibile an possit se divertere ad unum relicto altero ceteris paribus vel an moreretur fame. Si illa duo commestibilia equaliter distent ab eo videtur q. nisi a celo vel alia causa instigare ad nullum cibum iret quia caret libero arbitrio quod

per hoc concluditur.

Ad octavum magis patebit ar. sequente nec itellectus dicitur rationalis quasi sit liber sed q. potest rationari et discurre. Si dicatur voluntas dependet ab intellectu et non e converso ergo intellectus est magis liber negatur p. h. a.

Ad nonum patet ex dictis. Nec oportet q. semper in talibus concurrat actus formalis voluntatis sed sufficit interpretativus. Quidam dubitant an obiectum voluntatis sit bonum uniuersale quia voluntas fertur in rem ut est ad extra sed ad extra non est uniuersale. Dicendum q. ratio obiecti voluntatis est uniuersalis et non res ad quem inclinatur voluntas San. Tho. de veri. q. xxij. ar. iij. iij. s. par. q. lxxx.

Ad decimum. Quibusdam videtur q. voluntas ex hoc q. est indifferens non potest determinare seipsam non quoniam possit actum suum suspendere sed q. velit hoc et non illud vel q. actus suus sit talis hoc prouenit a iudicio intellectus. Sed contra tunc voluntas non esset domina suorum actuum quia non potest velle unum relicto altero nisi iudicetur q. unum sit magis volendum q. aliud et sic non esset verum dictum commune sic volo sic iubeo sit pro ratione voluntas. Item aliquis potest facere contra conscientiam ergo sua voluntas non determinatur per intellectum. Item simplex apprehensio sufficit ad volendum vel nolendum ut postea dicitur. Potest dici q. plenum dictamen determinat voluntatem. Sed tunc queritur de primo actu voluntatis malo a quo determinatur voluntas ad ipsum videtur q. a se ipsa: quia si determinatur per aliquod iudicium queritur de illo an sit bonum vel malum unde circa hec queritur an primus actus liber sit electio ut dictum est videtur q. non quia consensus precedit electionem et consensum precedit concilium et concilium precedit intentionem et intentionem precedit volitio finis videtur autem q. ista tria vltima sint actus liberi arbitrii q. sunt actus virtutis et sic presupponunt actum prudentie et sine dubio consensus videtur esse actus liberi arbitrii ideo de ipso alijs dimissis dicitur q. est actus liberi arbitrii sed plenus actus liberi arbitrii est electio. Tunc dicitur ad argumentum q. aliquando voluntas per libertatem arbitrii determinat se vel dicatur sicut supra de intellectu incipiente aliquid cognoscere de nouo quare magis vtritur vna specie q. alia. Et argumenta procedunt de agente naturali vide San. Tho. de verita. q. xxij. arti. vij. ad primum voluntas determinat sibi velle vide ibi in articulo triplicem indeterminationem prima parte. q. cv. arti. i. in secundo argumen. et nota q. obiectum determinat voluntatem quo ad speciem actus. Sanctus Thomas de verita. q. vj. ar. vj. vij. Concedo tamen q. aliquando determinatur per consilium rationis Sanctus Thomas de malo. q. iij. arti. iij. quintum. Et nota q. oportet materiam determinari ad hanc formam per aliud quia ipsa est indeterminata per defectum actualitatis voluntas autem non sed per illimitationem sue actualitatis.

Ad undecimum patet in logica quomodo talia debent poni in esse.

Ad duodecimum facilis est responsio dicendo q. voluntas se sola non movet se quia tunc eiusdem ad se ipsum esset relatio realis quod est contra conditiones relationis realis. Sed dices idem inconueniens sequitur dicendo q. voluntas simul cum noticia movet se quia ex illo sequitur voluntatem mouere se tanquam causam partialem dices q. causa efficiens partialis non est totale fundamentum relationis et ideo non